

Dissertatio medica de impotentia virili ... / [Benjamin Ewaldt].

Contributors

Ewaldt, Benjamin, 1674-1719.
Stahl, Georg Ernst, 1660-1734.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

[Halae] : [Typis Christophori Salfeldii], [1697]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/f3ekt327>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Q. F. FG. S.

DISSERTATIO MEDICA,

De

IMPOTENTIA VIRILI.

Quam

In ILLUSTRI ACADEMIA FRIDERICIANA,
Rectore Magnificentissimo,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO WILHELMO,

ELECT. BRANDENB. HÆREDE &c. &c. &c.

Gratiosò FACULTATIS MEDICÆ Consensu,

Sub PRÆSIDIO

Dn. GEORGII ERNESTI STAHL, D.

Prof. Publ. Ord. & Facult. Med. Assessoris,

Domini PATRONI ac FAUTORIS sui

Omni observantiae cultu prosequendi,

Ad D. Julii Anno M. DC. XCVII.

Placido Eruditorum Examini fistit,

RESPONSURUS AUTOR,

BENJAMIN. EWALDT. Dantisc.

Med. Cult.

HALÆ,

Typis CHRISTOPHORI SALFELDII, REGIMIN.

ELECT. BRANDENB. Typogr.

VIRIS,
ADMODUM REVERENDIS AMPLISSIMIS,
CLARISSIMIS, NOBILISSIMIS, SPECTATISSIMIS,

DN. CONSTANTINO SCHÜTZIO,
Pastori ad Ædem B. Mar. Virg. quæ Gedani est
Dignissimo.

DN. ANDREÆ BARTHIO,
Ad Div. Cathar. ibidem Pastori præclarè merito.

DN. MICHAELI EWALDO,
Pastori ad Ædem Sanct. Angel. illic Vigilantissimo,
PATRUO meo Honoratissimo,


DN. ALBERTO GRODDECK,

DN. LUDOVICO BRACKERMAN,

Laudatissimi Emporii Ged. Negotiatoribus Florentissimis, ac SUSCEPTORIBUS è sacrô Fonte
maximoperè Colendis.

Hanc DISSERTATIONEM MEDICAM
In mei, Studiorumq; meorum ulteriore Commendationem, cum
Voto Felicitatis, Sanitatisq; perpetuae offero ac dedico

AUTOR.



J. D.

PRÆFATIÖ.

Ouærelæ quot non proh dolor ! quotidiè audiuntur , tām à Viris ; quam Conjugibus : ab his quidem , quod jucundissimò aliàs fœcundi matrimoniī usū carere , noctesque frigidas , annos suos steriles , ac tristes transigere cogantur ; ab illis verò multò magis eæ augentur , si cumprimis causas se esse agnoscant tantarum molestiarum , ob quas Conjugibus adeò invisi sint , dum socias thalami dulcissimas intactas plane relinquere , cumqué Nasone ingemiscere necessum habent :

Tu Dominam fallis, per Te depresso inermis

Tristia cum magnò damna pudore tuli.

Nequé enim mirum esse poterit , si matrimonium hinc sterile evadat , nullusque illius effectus sequatur exoptatus , ad hunc siquidem obtinendum , non una , sed binæ , & quidem con-

junctæ, requiruntur causæ. Ignoscent mihi hīc
omnes, si accusatos vel ab uxoribus, aut pro-
priā etiā viētos conscientiā, Impotentes no-
minaverim, vitioque vel naturali, vel acquisitō,
adeoque præternaturali labore Fos dixerim.
Non equidem me fugit, hanc materiam, uti ju-
cundam quibusdam, ita odiosam aliis fore; Ast
fciant hi, non ex pūritu quodam indecorō, pro-
palandi Veneris arcana, multò minùs in oppro-
brium Impotentium, hanc conscriptam esse
DISSERTATIONEM, siquidem nullus in illâ
reperietur locus, in quō honestatis transcendis-
se limites videri possem; sed ut vires Medicæ Artis
hīc paulisper excuterem, ac inquirerem, annon re-
media supersint, quæ auferendo huic malo com-
modè inservire in solatium Utrorumque
queant? Quod si ex voto cesserit labor, fru-
ctumque ex illo decerpere Impotentiae Virili
præpeditis licuerit, mihi met quām maximè
gratulabor, sin minùs, & in his saltem voluisse
sufficere poterit. Divinum interim Numen
conatibus hīce meis clementer,
adspiret!

S.I. Equi-

§. I.

Equidem lexui Virili non aliam ob causam D E U S genitalia organa concesfit, quām ut facultatem nanciseretur speciem multiplicandi: Cūm enim corpora nostra minime sint immortalia; sed omnia interitui obnoxia, itaque Creatori placuit hominem non aliter, quām reliqua animantia, facultate hāc instruere. Abundat hic suo sensu *Helmontius*, mēo arbitratu planè non audiendus, dum genitalia homini post lapsum demūm nata statuit, siquidem id non tantūm perfectioni primi status repugnaret; verū & voluntati divinæ. Quomodo vero multiplicari perpetuò potuissent homines? an per continuatam creationem fortassis? quod absōnum. Præsciverat insuper omnipotens Creator homines peccata perpetratos, adeoque morti fore obnoxios, hinc & in prima statim creatione media, puto genitalia iis addidit, quibus restauratio commodè institui posset.

§. II.

Sunt vero genitales partes generatim considerandō, duorum maximè generum; Aliæ quæ seminis elaborationi inserviunt: alizæ, quæ emissioni ejusdem in locum & receptaculum debitum destinatæ sunt: adeoque cohabitationi legitimæ debentur. Hæc alterutra si minùs convenienter sese habeant læditur generationis efficacia.

§. III.

Appellantur diversis nominibus consectaria ejusmodi læsionum. Quæ enim ipsas partes semen generantes tangunt, adeoque seminis habilitatem frustrantur, & fœcundam ejus efficaciam lædunt, magis notari solent nomine Sterilitatis & Insufficientiæ: Quæ vero totius actus impotem reddunt ægrum, Impotentia nomine presiùs designantur.

§. IV.

Prioris generis, sunt testiculorum eximiæ læsiones, vel nativæ, vel casu aliquo superinductæ. A nativitate contingit delitescentia alterius, aut utriusque testiculi; Unius minùs rara utrius-

utriusque rarior. Obtingit vero hæc iterum, vel cum læsione magnitudinis, & exactæ structuræ illius, vel citrè eandem, si læsa sit structura illius, contingit ferè simul alterius quoque testis prominentis structuræ aberratio: Cujusmodi *Ex. D. D. Preses* deprehendit in apertione Cadaveris Viri literati, qui vivus insufficienziæ testimonium obtinuerat, dum teste dextrô intùs delitescente, sinister flaccidus, latus magis quām globosus, & ipse quoque minor solito comparebat.

§. V.

Casu veluti inducitur ablatio, per castrationem; inconsultam, ex morsu animalium, jactu tormentorum, conquaflatione inflammatoriâ & suppuratoria &c. Consultam, per homines, vel quæstus & lucri iniqui causâ, vel ultionis malignæ nomine, vel usus & custodiæ Gynæciorum gratiâ &c.

§. VI.

Utriusque testiculi ablationi plenariæ, conjungitur ferè plena venerearum rerum inappetentia: Cujusmodi exemplum, etiam est in *Zodiaco Gallic. Blegny. An. i. Mens. Febr. obs. 6.*

§. VII.

Motum debitum seminis lædunt, fistulæ perinæi, à Venereis ulcerationibus profectæ, undè sperma loco ejaculationis per ipsum urethræ apicem, per fistulam potius illam diffuit, adeoque inefficacem & sterilem reddit cohabitationem.

§. VIII

Quando verò non modò efficacia & fœcunditas; sed omnis omnino actus cohabitationis ex parte Viri fieri non potest, tunc maximè appellatur Impotentia.

§. IX.

Hæc licet, ut dictum, etiam ex ipsorum testium enormiter malâ conformatiōne, aut plenariâ ablatione, nasci queat; quia tamen illi casus, medicam curatoriam considerationem penitus subterfugiunt: propterea illum casum, qui medicam opem adhuc magis admittit, maximè medico foro vindicabimus, nempe qui à membra exterioris flacciditate unicè dependet.

§. X.

Non itaque hic requiritur, ut omnes partes Sexus Virilis gene-

generationi dicatas , ordine recenseam , sufficit si illius saltem
meminerim , in quā nodus in præsentiarum hæret , scilicet penis
ipsius ; In hujus enim erectione ac rigiditate robur virile , in flac-
ciditate verò ac dejectione Impotentia eminenter consistit . Hu-
jus , inquam , situm ac structuram , ut paulò accuratiùs perlu-
strem , ratio ac necessitas propositi mei omnibus modis exigunt .

§. XI.

Situs ergò hic est in inferiore abdominis parte ad ossis pubis
radices , ut commodiùs fiat congressus , neve aliis partibus hu-
mani corporis impedimento sit . Magnitudine plerumque est
unius Spithamæ , tegitur cute , cum cuticulâ , & panniculô car-
nosô ; ast pinguedine qvare destituatur ? autores adhuc inter
se discrepant . Laurentius putat causam esse , quod pinguedo
mollitie suâ erectionem impediret : Alii causam dant , ne pon-
dere laderet , dum in nimiam molem excresceret . At si pin-
guedo pauca esset , non ponderaret , neque partem nimis ampli-
ficaret . Bartolinus existimat deesse pinguedinem , ne sensus
obtunderetur , & voluptas minueretur , fusâ per frictionem pin-
gidine ; sed ne hoc quidem , utpote probabile tantum , suffe-
cerit ; cum in promptu sit ratio , quod ipsa densa membranacea
substantia , transcolationem illam tenuis pinguis substantiæ
è sangvine impedit , cùm nusquam in toto corpore , in partibus
ex sanguibus pinguedinem generari contingat ; sed tantum è vi-
cinâ eo extendi .

§. XII.

Substantia ejus neutiquam ossea est , quemadmodum esse
solet in aliis animalibus , v. gr. lupô , vulpe , cane &c. sed pecu-
liaris & propria , qualis nulla est in alia parte corporis : Hinc
quatuor communiter ejus numerantur partes , nempe urethra ,
glans , & duo corpora nervosa .

§. XIII.

Præter hæc , habet & arteriosa satis capacia , & venosa vasa :
Nervos etiam , ex infima medullæ spinalis parte , per ossis sacri
foramina ad ipsum hoc membrum emissos . Et hæc maximè va-
sa faciunt ad membra virilis inflationem & rigiditatem , dum
nervosa illa spongiosa corpora sanguine copiosò inficiunt . Cui
sangvi-

sangvinis congestionis si spiritus per nervos effusos admiscere libuerit, per nos integrum erit.

§. XIV.

Ultrà has verò omnes partes, poscidet etiam musculos IV. qui ad directionem, inflati & per infarctum tensi membra, destinati sunt. Quod ipsum, licet proprium & directum eorundem officium sit; subest tamen & altera motus eorundem efficacia, dum videlicet vasa venosa, muscularum horum, per quos transcurrunt, stricturā, ita comprimuntur, ut dum sanguis arteriosus copiosè influit, refluxus verò non patet, statim illam reperitam, adeoq; & infarctum & inflationem membra ipsi inferat.

§. XV.

Sunt hi musculi, duo laterales, qui originem suam sumunt infrà duorum corporum nervosorum principium, & terminantur in membranā eorundem. Et totidem medii, quos dilatatores urethrae nominant, oriundi ab ani sphinctere, super ipsas penes venas excurrentes.

§. XVI.

Atque ab his solis muscularis penis erectio primo dependet. Dum enim sanguis per arterias continuò appellitur; musculi verò laterales, corpora nervosa, & musculi medii venas circà os pubis comprimunt, non possunt non, ob sanguinem indefinenter per arterias capaciores affluentem nusquam refluente, corpora fungosa ac spongiosa inflari ac turgescere. Nam & urethra infrà muscularis sita est, ne scilicet, si ab his comprimatur, seminis insimul excretio impediatur.

§. XVII.

Ex itâ cognitô statu naturali Virilis roboris, nunc facilè unicuique colligere licebit, quid per Impotentiam Virilem indigere mihi animus sit, nempe: *Quando maritus ad coeundum cum uxore impeditur, virga debitâ erectione deficiente.* Mirum hoc illis videbitur, qui etiam extrâ conjugium frequentissimâ membra illius erectione vexantur; ast sciant ii, non parùm hanc ipsam ad subsecuturam Impotentiam conferre. Patebit hoc clarius ex mox recensendis causis.

§. XVIII.

§. XIX.

Præsuppono nimirūm, non in pueris aut decrepitis erec^{tio}nem hastæ requiri; sed tantūm in Viris, adeoque in illis Impotentiam potius puerilem, quām Virilem dici debere, quia extrā sp̄h̄oram ii constituti sunt: notum enim est antē annos pubertatis vires huic negotio sufficere vix posse, etiam secundūm naturæ intentionem, non primariam quidem; sed secundariam & hypotheticam. Quamvis interim, vel ab infantiâ ipsâ, erec^{tio} membra per frequenter accidat, ut adeò ne tunc quidem plena, & nostrō præcipue sensu, adsit impotentia. In senibus vero, sive decrescentibus viribus, hæc quoque facultas decrescit magis successivè, donec paulatim planè extingvatur; Non tamen senii absolute; sed potius senii debilitati, adeoque magis individualis est hic defectus, & si exactè loqui placeat, magis p. n. quām s. n. obtingens. Vegeti enim, sangvineo-cholerici, hilares, rubelli senes, etiam ultrà octuagesimum annum non destituuntur omnino hâc energiâ: Valetudinarii, vero Phlegmatici, enervati, vel in principio Sene&tæ hîc deficiunt. Hinc determinari annus non potest, in quô præcisè hoc negotium deserant; observamus tamen eos, qui citius hoc inchoarunt, crebriusvè militavere in Veneris castris, citius quoque desinere, ut adeò verum sit Germanorum hoc in casu proverbium: Wer bald anfängt / muß bald aufhören/ & illud antiquum: Intemperans & luxuriosa juvenus, effætum corpus tradit senectuti. Contrà vero, qui vires primorum annorum collegerunt, & doni hujus minus prodigi fuerunt, longè diutiùs suo præesse posse officio, imprimis si etiam liberaliori, assuetati fuerint victui, nam:

Sine Cerere & Bacchô friget Venus.

adeoque hic generaliter tantūm dixisse sufficiat: Quicquid Vires dejicit, Venerem enervat: Quicquid eas restaurat, venerem restituit.

§. XIX.

Sed specialius jam ut ad rem ipsam me accingam, videtur mihi Impotentia Virilis genuina species esse paralyseos, non quidem universalis; sed particularis, i. e. membra unius, scilicet penis.

nis. Nam & sic causæ paralyseos huic affectui optimè tribui possunt.

§. XX.

Datur h̄ic nimirūm triplex vitrum: vel spirituum, vel humorum, vel partium solidarum. Quod spiritus concernit, ex istimo eorum denegatum in musculos erectores influxum merito hic accusandam esse. Sivè ergo is sit deficientibus iis, scilicet in subjectis planè morbosis ac cacoehymicis, vel saltem post longiorem morbum superatum, v. gr. febrem ardenter aut quartanam &c. ut indè haut leue reconvalsentia signum petere vulgus consvererit, si virgæ erectionem iterū sentiat. Eādem ratione & defectus Spirituum iis supervenire solet, qui Veneri ad tempus aliquod intemperanter indulserunt; constat enim ex anatomicis, non sanguinem tantum per arterias ad genitalia; sed spiritus imprimis per nervos eō affluere. Quid ergo mirum? si propter continuum illum affluxum, spiritus in toto corpore ita immittuantur, ut tandem planè non huic sustinendo negotio sufficiant: Videtur præterea ipsi spiritui dirigenti, agenti, extēdiosâ quādam fatigata fastidium enatum esse, ut potius reliquas partes, magis jam necessarias spirituum appulsi roboret actu etque, quam has, minus necessarias. Actiones enim vitales, primario & præsentiore energiâ peragi & debent & solent pro individui conservatione; secundariò pro speciei propagatione: undè facilius hæ deficiunt & negliguntur, quam istæ, immo ut istæ conservari & continuari tanto melius possint.

§. XXI.

Cum defectus Spirituum jam mentio facta fuerit, opus erit, ut etiam videam, ac demonstrem, quid alteratio eorum nimia hic conferre queat? Certum namque est, ac quotidiè obvium, quotiescumque tristia oculis nostris obversantur, animum etiam reddi tristem; contrà vero jucunda totum hominem exhilarare. Ponamus igitur casum, fuisse quendam virum, qui rebus suis unicè intentus, sexum fœmineum susque deque habuerit, si tandem conjugium ineundum sit, atque delectabilis ejusmodi, simul ac formosa Veneris proles ipsi jungatur, spiritus ejus præ gaudiō nimiō quasi exultant in toto corpore, atque adeo

partes

partes genitales derelinquunt, quibus hactenùs insuper vix interfervire assuetifuerint. Quid enim aliud oculorum, ac totius faciei rubor indicat? quam copiosum ibidem affluxum spirituum, ob complacentiam scilicet rei acceptæ. Confirmat meum assertum *Borell. Cent. I. Obs. XIX. p. 28.* qui experientia edoctus, non gaudium nimium solum; sed & pudorem, vel verecundiam, sapientissimè causas *Impotentiae Virilis* fuisse. Adderem, si liceret, etiam pusillanimitatem; notum enim mihi est exemplum ejusmodi Viri pusillanimis, qui ex sola diffidentia, & intempestivâ verecundia, conjugem suam formosissimam per aliquot menses illibatam reliquit, donec adhortantibus Amicis, à Conjuge hanc ob causam imploratis, & levissimis propinatis stimulantibus se postmodum Virum præstiterit. Est tamen hæc *Impotentia* species magis temporaria solum, atque ad Paralyticam laesionem contumaciorem, ac in ipsa parte radicatam, minus referenda. Sed tantum eò nomine allegata, ut probetur spirituum influxum deficientem, quam maximè esse in causâ torporis illius, in quo *Impotentia* fundatur.

§. XXII.

Præterea, qui nimiis speculationibus vacant, vigiliis intemperantiis sese subjiciunt, qui curis & sollicitudine, tristiaque, Timore pariter, aut Terrore gravissimo, afficiuntur. Imo etiam, qui Ebriositate extra seiplos positi sunt, patiuntur omnes successivè magnam & quantitatis spirituum, & motus atque alacritatis eorundem jaeturam. Adeò quidem, ut vel hæc occasione facilius oboriatur vera illa & perpetua *Impotentia*, de qua nobis est sermo: Vel ad minimum insignis torpor atque frigiditas, ut parum ad hunc influxum vergant.

§. XXIII.

Hæc de vitiis ita dictorum Spirituum. Pergo ad Humorum etiam noxas declarandas, inque illis duplices reperio, dum vel quantitate peccant, vel qualitate. Quantitate, si plethora, notha, alias ad vires dicta adfuerit, tum enim continua datur lassitudo artuum, & imbecillitas; imo *Impotentia* erigendi membra, ut adeò vix mirum sit, si etiam tum virga virilis flaccida permaneat. De plethoricô ejusmodi pistore Lipsiensi retulit mihi

*Exc. D. D. Rivinus, Prof. Publ. Ord. Lips. Celeberrimus & Praeceptor
ante hanc meus maximè Venerandus, qui ne manum quidem attollere
potuit, & cui, imploranti carnis auxilium, hic respondit: medullam ossum contabescere; cùm tamen vasa undique tu-
mida conspicerentur. Sed maximè adhuc in qualitate peccant,
(1) si Massa Sangvinea serofior ac justò aquosior fuerit, hinc fa-
ctā commotione corporis, serum transpirat, cumque illō spiri-
tus notabiliter dissipantur, (2) si humores in corpore adsint pravi,
subiectumque cacockymicum sit, tūm enim loco laudabilis chy-
li, cruditates acidæ, biliosæ, Nidorosæ, mixtæ &c. sangvini ad-
miscentur, particulæque spirituosaæ, quæ adhuc in corpore fue-
runt, ab his obruuntur, undè sàpè si mucido-viscida saburra, in-
testinis gravis, redundet, alvi fluxus ingens accidit, qui ita spi-
ritus consumit, ut non paucis hujusmodi subiectis, lipothymias,
& succedentem diuturnum langvorem supervenisse, experientia
testetur.*

§. XXIV.

Supersunt adhuc partium solidarum vitia demonstranda, &
ea potissimum, quæ ad Impotentiam hanc conferre possunt. Ob-
servamus verò paralysin muscularum penis principem inter hæc
occupare locum, siquidem ea potissimum accidere solet, vel post
ineptam sectionem calculi, vel à nervis compressis ac laceratis
etiam, vel à casu suprà dorsum aut os sacrum, vel ab equitatio-
ne nimiâ, præsertim si postmodum frigus superveniat, vel ab
ipsô enormi frigore his partibus accidente. Sic meminit *Garmannus Eph. N. C. Dec. 1. An. III. Obs. 41.* Viri cujusdam, qui sàviente
hyemis frigore, iter aliquot horarum equo emensus, paralysin
penis incurrit, undè Impotentia coëundi succesit, nullâ iterum
arte curanda, quanquam medicos non infimæ notæ statim in
principiô in consilium vocaverit. Ac verissimè quidem *Aristotel.*
*L. 6. de generat. animal. C. 2. homines ad Venerem segnes reddi
aquâ gelidâ asserit.*

§. XXV.

Non prolixus ero in recensendis virgæ virilis vitiis, quæ pas-
sim ab autoribus annotantur, ubi v. gr. cuidam à nativitate glan-
dem penis non fuisse perforatam; sed circâ testes foramen ha-
buisse,

buisse, per quod urinam redderet, notat *Amat. Lus. Cent. i. Cur. 24.*
 vel ubi quendam in Poloniâ degentem, in extremitate glandis
 vestigium saltem foraminis habuisse, foramine ipsô infrâ glandem
 existente, observat *Polisius in Eph. N. C. An. IX. & X.* aut
 quando ulcus in urethrâ à veretrô, filo sericeô constrictô ortum,
 per quod urina excernenda fuit, annotat *Wepferus. Eph. N. C. An.*
III. obs. 167. Siquidem hæc cuncta potius sterilitatem producunt;
 quam Impotentiam, adeoque hujus loci vix ac ne vix quidem
 erunt. Audiamus potius *Forest.* qui *L. 28. Obs. 57.* scribit, se virgam
 brevissimam in pistore quôdam reperiisse, & mentulam ad intelli-
 riora retractam, ut ne quicquam de pene apparuerit. *vid. in Eph.*
N.C. Ann. IV. & V. Obs. 155. Non minus à gangræna hastam planè
 absumentam observavit *Hafniæ Th. Bartholin. hist. anat. Cent. III. hist.*
 27. Ex argentô vivô paratum unguentum cum quidam nobilis
 adhibuisset, pro depellendis pubi inhærentibus pediculis, impo-
 tens factus *vid. Schenck. L. IV. de Impot. Vener. Obs. II. p. 533.* De Ev-
 nuchis ac Spadonibus non jam multa in medium prolatus
 sum, siquidem omnibus notum est, illos propter Impotentiam
 infames esse *vid. Bartholin. hist. 46. Cent. III.* Hinc *Terentiana* etiam
 cantat musa:

At pol ego amatores mulierum esse audieram eos maximos;
Sed nihil potuisse:

§. XXVI.

Præter verò hæc vitia, quæ triplicis generis, secundum
 tres partes corporis esse dixi, ac jam jam recensui, adhuc speciale
 quoddam occurrit, scilicet ex Fascinô ortum, ubi quidem quid di-
 cere debeam? anceps maximè hæreo. Prostant enim tam multi
 Autores, qui partim pro affirmativâ, partim etiam pro negativâ
 pugnârunt sententiâ. Sic scribit *Hier. Mercurial. L. IV. C. I. Med.*
Pract. an autem faciant incantamenta, & muliercularum vene-
 ficia hanc Impotentiam? neque affirmare, neque negare audeo.
 Non affirmo, quia nullus probatus Scriptor, neque ulla ratio
 persuadere potest; Non nego, quia & multæ experientiæ sunt,
 & Canones & leges id fieri posse videntur statuere. Itaque in in-
 certô rem relinquo. Maleficiis interim ac in cantamentis virili-

tatem adimi posse probat *Fernel. Lib. IX. pathol. C. 13. & Baptista.*
Codronchius. L. 3. C. 6. de morb. venef. ac veneficiis. Absit vero ut
solam diffidentiam producere hanc posse credam ; quin potius
cum aliis celeberrimis Praeteticis existimo , utique Sathanæ ope ac
præstigiis genitalia virorum ligari posse , nam probat assertum
experimentum illud , quod mariti ejusmodi ligati cum Conju-
gibus nequaquam rem habere possint , & fere magis eas abhor-
teant ; contrà vero , si etiam cum defloratis personis congregi
occasio ipsis suppetierit , tunc se Viros egregios præstiterint . Ad-
stipulatur sententia huic *Plinius. L. VII. C. 13.* dum verba hæcce
proferre non erubescit : est quædam dissociatio corporum , ut
inter se personæ steriles , ubi cum aliis junctæ fuerint , gignant ,
sicut *Augustus & Livia.*

§. XXVII.

Neque tamen adhuc fidem ligationibus hisce facerem , nisi
exempla innumera illius rei exstant , Mihi ipsi relata est hi-
storia verissima in Germaniaæ quâdam Universitate de Professore
quôdam Celeberrimô , cuius famulus ex jocô quasi in ipso co-
pulationis actu seram clausit , cernere cupiens , an etiam impo-
tens hâc clausâ sponsus sit futurus ? siquidem olim de illius veri-
tate ac infallibilitate (nescio à quô) quædam audiverat , nec reti-
net illam ; sed in puteum abjicit . Hoc factô sponsus , qui alias
optimè sibi constituit , & cui benigna mater natura optimè his in-
partibus prospexerat , planè impotens factus , ut satisfacere
Conjugi , dulcisimæ nulla ex parte potuerit . Ille præ pudore
ac mœrore ferè melancholicus factus , neutiquam in Impoten-
tiæ illius causam devenire potuit , usque donec famulus iste se
ipsum proderet , & factum hoc recenseret , ubi statim sera quæ-
fita est , & inventa iterum reclusa . Sequenti tempore optimè
Vir ille Celebris cum Conjuge vixit , liberosque generavit . Aliud
exemplum ligationis vid. in *Biegny Zod. Med. Gall. An. I. Mens. Octobr.*
Obs. V. p. m. 157. & Borell. Cent. I. Obs. 91. p. 95. & Cent. 4. Obs. 65. Bar-
tholin. Cent. 3. hist. anat. 71. seqq. Nec cum serâ clausâ tantum
ligationes institui posse ajunt ; sed & cum ligulâ constrictâ , vel
indusio

163.

indusio aut calceis sponsi. Tales ligandi modos descripsit Bodin.
L. 2. C. 1. qui legi possunt. Testatur idem in Galliâ praxin illam improbam ligandi à pueris & puellis sat multis, impunè, & quasi palam exerceri, ut ibi matrimonii solennia celebrare, spectantibus multis, sit oppidò periculosum. Idem confirmat Henning.
Arniseus. in tract. de jur. connub. C. 6. §. 8. N. 19. in totâ Galliâ, inquiens, tam sàpè nodos neeti, ut plerumque sponsi missis nocturnis, antequam luceat, copulentur, ne ab incantatoribus per lucem conspiciantur.

§. XXVIII.

Antequam vero à Fascini efficaciâ transeam ad reliqua, uno adhuc verbô monuisse libet, observati accidentis in Virô quôdam, qui cum sárcocele affici inciperet, contactu manûs mortuæ illam compescere edoctus est: quod quidem itâ successit, ut herniosa excrementia evanesceret; succedente tamen in ejus locum Frigiditate, & sterilitate, cum anteâ liberos genuisset.

§. XXIX.

Signis non indiget hic affectus, siquidem in se luce meridianâ clarior est. Ecquid enim sibi vult continua flacciditas hastæ? annon putas signum hancce esse sufficiens Impotentia virilis? itâ certè crediderim. Non enim de perpetuâ est necessitate ut simùl omnimoda insensibilitas hujus membra adsit, ad quem modum hanc cum flacciditate ferè in omni paralyfi conjunctas observamus: Cùm enim musculi maximè paralyticâ enervatione laborent, potest reliquo membro suus utique, aut certè qualiscunque sensus, restitare.

§. XXX.

Dumque sic desideratæ rigiditatis membra virilis mentionem jam injeci, opus erit, ut etiam differentiam illius paucisfimis innuam. Consistit scilicet ea in tribus potissimum: (1) quando illud prorsus non, (2) quando non sufficienter, (3) quando non satis diu erigitur. Experiendi hæc omnia confirmata sunt,
ad eo-

— adeoque nullâ indigent explicatione. Ità scribit *Fr. de Le Boë*, *Sylv. Prax. Med. Append. Tr. V. F. 498.* memini aliquando me in consilium vocatum apud hominem uxoratum, pene satis crassô, & testibus crassiusculis præditum; ineptum tamen ad conjugii munia obeunda, imprimis ob defectum sufficientis, ac satis diu durantis erectionis penis, Qui plura hujus asserti desiderat testimonia, adeat saltem Practicos, in quibus multifaria ipsum inventurum certò certius policeor.

§. XXXI.

Quid dicam de Symptomatibus præsentis affectûs? ea certè non tanti sunt, ut de illis verba multa fundam, nec à compluribus ea quidem observantur: Excipio tamen impotentiam ex insigni Spirituum defectu ortam. Tùm enim omnia sensoria deficere solent, auditus depravatur, memoriarum accidit debilitas, unâ cum artuum omnium tremore ac imbecillitate. Visus obscuratur, adeò, ut vespertino tempore talia subiecta planè occœcari videantur. Incidit mihi obiter historia, quam *S. Pauli. in Q. B. de Virô quôdam* refert, ad Venerem adeò pronô, ut omni ferè tempore exercere hanc voluerit; cùm tamen visus mirum in modum jam imminueretur. Hic, cùm Medici svaderent, ut Veneris exercitia omitteret, aut visum se perditum constanter assererent, responsum iis dedit: *Pereat amicum lumen.*

§. XXXII.

Sed jam tempus erit, ut à theoreticis ad practica deveniam. Haetenùs enim ea in medium afferre volui, quæ vel ad morbum hunc illustrandum, aut certè enucleandum facere potuere, sicque nihil amplius supererit; quâm ut causis in antecedentibus his enarratis remedia idonea subnectam, quibuscum commodè auferri possint.

§. XXXIII.

Deficientibus ergò Spiritibus dentur analeptica v. gr. spirit. formic. Acid. Aqua magnanimit. Ess. ambr. Conf. alkerm. S. & compos. anacardina, syr. fl. tunicae &c. Si vero post

post longiorem morbum superatum accidat, corpus primum reficiendum cibis eupeptis & euchymis, jusculis scilicet pullorum, aut carnium vitulinarum, addendō parūm Cardamomi. Cubeb. Zingib. Caryophyll. vid. Mattiol. Comment. ad. C. 153. L. 2. Dioscorid. Postmodūm cetera propinare juvabit confortantia. Et hæc ad generalem inopiam Spirituum; ad specialem verò, ut magis ad certam illam partem iterūm dirigantur, spectant Specifica sic dicta Aphrodisiaca. Inter hæc Scincos marinos pulverisatos ad drach.j. cum vinō sumptos valdè ad Venerem stimulare scribit Gesnerus. L. 2. hist. animal. Ad ignaviam genitalium, inquit Mercurialis. Consil. 48. expertus sum borracem officinis vocatam, ciceris magnitudine in ovō sorbili manè crebrò acceptam, erectionem & coëundi potentiam facere. Quantum Castoreo & testic. vulpin. tribuatur ap. Hartman. vid. in Operibus ejus in fol. p. 106. T. 1. Ejusdem generis plura specifica vid. ap. Schenck. L. IV. Obs. 8. p. 536. Ità possunt etiam ad partes genitales invitari spiritus, & adduci per s vagueolentia inuncta extrinsecus. Commandant idcirco nonnulli unguentum ex oleō Sambuci, pulvere pyrethri, Euphorb. & Moschō: vel jubent saltem Zibethi gr. ij. circā penis glandem inungere, additō gr. j. olei macis, & eventum nunquam satis laudandum deprædicant. Quod quidem in minus exactâ Impotentiâ efficax satis est: In eâ vero, quæ strictè à muscularum flacciditate dependet, applicanda hisce potius sunt remedia.

§. XXXIV.

Quod si plethora in culpâ fuerit, instituatur Venæ Sectio & diæta hinc paulò servetur strictior; In serositate verò sanguinis, incrassantia omnis generis locum invenient v. gr. Thus. Gum. Arab. Tragacanth. Mastich. Gummata mali, pruni, pyri ac cerasi, amygd. dulc. pineæ, sem. portulac. papav. alb. lac. sem. 4. frig. mucilag. sem. Psyllii ac cydoniorum, Gelatina item CC. & Eboris. &c. Præ omnibus tamen talibus, Emulsiones decenter aromatisatae citò nutrientes. Humoribus pravis peccantibus varia inserviunt remedia, v.gr. in acidâ cruditate absorbentia & præcipitantia, in biliosâ Salsa omnis generis, in Nidorosâ aromaticâ,

balsamica temperata, in mixtâ, ex dietis combinari poterunt. Imprimis bilis acrior temperanda venit, & per alvum subducenda, ne continuo vellicandô intestina, alvi fluxus, & hinc defecatus spirituum uberior accidat.

§. XXXV.

Parùm vero Consilii supererit pro illis, quibus calculus inepte secessus fuerit; nam laceratis nervis vel musculis, nisi balsamica remedia opem ferant, ferè desperata res est. Idem judicium estò circà vitia à nativitate producta partium genitalium, & quorum in §. XXV. mentionem injeci. Paulò aliter se res habet, si à frigore nimiò id malum ortum fuerit; Tùm enim plantæ nervinæ, cum pulvere Cinnam. Cubeb. aut oleis destillatis, aromaticis, ad minimum spiritibus abstractiis ejusmodi conspersæ, calidè sub sacculi, Epithematis, vel Cataplasmati formâ peni circumligari poterunt.

§. XXXVI.

In ipsâ denique muscularum paralytode flaccescentiâ, adeoque propriô magis atque domesticô Impotentiaz de quâ locutus sumus, fundamentô, adhibenda eadem hæc, & talia aromatica, sub formulis penetrantibus, Spirituum, Epithematum, oleorum; Adjunctis lenibus frictionibus, ad incandescentiam partis intimorem, adeoque ulteriore medicamentorum penetrationem; Imò, nec omittendæ quidem sunt, in partibus itâ exiguis, stimulations pro affluxu humorum uberiore, Phœnigmi & Sinapismi, Cucurbitularum tûm siccârum, tûm leviter scarificatarum, applicatio. Respiciendum tamen ipsâ horum applicatione, præcipue aciorum, ut non æque membro; sed radici potius illius, adeoque regioni muscularum, de quibus est querela, immediatè imponantur. Sub horum verò usu, adhibeantur etiam interna illa, & quidem gradatim à temperatiōribus progrediendô ad acutiora, & antè omnia præmittendô generalia Evacuantia & corpus repurgantia, sine quibus ferè omnium specificorum usus supervacaneus deprehenditur.

§. XXXVII.

§. XXXVII.

Devenio jam ad Curam *Impotentiae* ex *Fascinō* ortæ, ubi equidem varia specifica commendare solent, de quibus vid. *Remigius*. *L.3. C.3. & 8. Gædelman*. *L.1. C.8. Num. 52. Schenck*. *L. IV, Obs. V.* p. 534. Pariter *Impotentiaz* masculæ magicis artibus restitutæ exempla proponit *Wolff. lect. memorabil. T.1. p. 861. & T.2. p. 594. Wierius* vidit ligatum nobilem corvinō felle cum sesamelæō inunctum fuisse restitutum. Præ cæteris jubent quidam maritum per uxoris, & uxorem per mariti annulum conjugalem mingere. vid. id. *Wolff. lect. momorab. T.1. p. 278.* vel per urinæ ægrotantis coetionem in olla probè clausâ, modo solitariè, modo cum Ricini foliis institutam, Veneficæ tantos dolores excitari ajunt, ut præ anxietate nimiâ se ipsam prodere, incantationesque demere cogatur. vid. *Agricol. Chir. parv. p. 65.* Si tūm *Fascinum* sublatum sentiat æger, adhibeat remedia stimulantia, ut: rad. Eryngii, vel decoctam, vel pulverisatam in vinō assumptam. In tali casu Indos Bangve semen & folia edere perhibet *Garcias ab Horto L.2.C.22.*

§. XXXVIII.

Symptomata, quorum superiùs mentionem injeci, sponte cessabunt, si spirituum liberum & expeditum affluxum omni ex parte promovere studeamus, atque operam navemus, ut vietus ratio probè observetur; Multos enim ab *Impotentia*, hâc libera-
tatos esse, testatur *Christ. à Vega: L.3. Sect. 10. C. 5. de art. medend.* Sicque habes L. B. meas de *Impotentia Virili* conscriptas theses, prolixitatem hujus materiaz placuit mihi in ipsius brevitate ostendere, sicuti Archimedi quondam, in exiguo vitrō mundum.

Lege & judica. DEO interim T. O. M. sit pro concessis
clementer viribus laus & gloria!

TANTUM!



Nobis



Nobilissime Domine EWALDE, Amice æstumatisime.

Sapienter facies, si ἀκενόως δοξασθεντος fueris. Hoc ipsum, quod Amico suo asseverat Cicero, si ullubus, certè in Arte Medicâ habet usum; Ut enim, notante Phædro; Nisi utile est, quod facimus, Stulta est gloria; Ita non modò Artem nobilissimè Practicam professo, indignum est, circà inanes speculationum, & historiolarum singularium rhapsodias, occupari, ; sed tanto magis absonum, speciminis loco talibus sese efferre. Rectè sane & ordine facis, quod, post solertissimum Medica Doctrinae studium, cui tam in Celeberrima Regiomontana, quam florentissimâ Philureâ, insudasti, profectus Tuos in Arte solidissimos, publicè declaraturus, Practicam eligis materiam, non modò satis frequenter occurrentem, sed & originis sue, & restitutionis, difficilem & Theoriam & Praxin involventem. Gratulor Tibi merito, Nobilissime Domine EWALDE, tum de publico hoc, eximiæ Eruditionis Tuæ, documento, tum de ipsis in Arte nostrâ felicissimis progressibus: Perge, ut occœpisti, hanc perpetuò insistere Viam, & Theorie circumspectioris veritatem & utilitatem, in ipsâ Praxi querere; Erit Tibi hæc opera (nunc quoquè longo usu levius,) & honori eximio, quem digno favente manu porrigit & offert Virtus, & usui atque fructui locupletissimo; Quod utrumquè, sub Divina Benedictionis auspiciis, ut in letâ οὐλαγχείᾳ, felix experiaris, amico affectu compreco.

VALE,

PRÆSES.